

el Lazio,,

ell. 500.000  
erenda  
isque provinciis conterminis  
aplicandis

concreditae fenus rependit  
s vel per litteras instituit.  
essoris nomine, sive cuique  
va summa agatur.  
non fructiferas sygraphas;

mit venditque.  
, aliorumque nomine obliga-  
s, solvit.  
committentibus gerit; locaria

estari, 21  
RUM, PRAENESTE, SUBLACI

JOSEPHI FORNARI

LESIAE FABULAE  
accomodatae apud ephe-  
facile agendis.

RIDIANUS

SIVE  
INCONDITO ADULESCENTE

ET

ICISCULI PRANDIUM

*Almae Romae* commentarium


ROMAE

del Governo Vecchio, n. 96  
eneunt singillatim libell. 1.00.

# ALMA ROMA



QVIDQVID NON  
POSSIDET ARMIS  
RELLIGIONE  
TENET



# NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 75.000.000

Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus  
Corso Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

## Sedes aliae tum in Italia, tum apud exteris civitates:

*Alba* (cum off. in opp. *Canale*), *Albano Laziale*, ALESSANDRIA (in Aegypto), *Arezzo*, *Avezzano*, *Bagni di Montecatini*, BARCELLONA (in Hispania), *Bengasi* (in Cyrenaica), CAIRO (in Aegypto), *Canelli*, *Castelnuovo di Garfagnana*, COSTANTINOPOLI (in Turcarum Imperio), *Derna* (in Cyrenaica), *Fabriano*, *Fermo*, FIRENZE, *Fossano* (cum off. in opp. *Centallo*), *Frascati*, *Frosinone*, GENOVA, *Lucca*, MALTA, MILANO, *Mondovì* (cum off. in opp. *Carrù*), *Montblanch* (in Hispania), NAPOLI, *Orbetello*, *Orvieto*, PARIGI (in Gallia), *Pinerolo*, *Porto S. Giorgio*, *Siena*, *Tarragona* (in Hispania), *Tivoli*, TORINO, *Torre Annunziata*, TRIPOLI (in Africa), *Velletri*, *Viareggio*, Viterbo.

## NUMMARIAE MENSAE ROMANAe RATIONES ET NEGOTIA.

NUMMARIA MENSA ROMANA pecuniam depositi nomine accipit:

a) iuxta quotidianas computationes easque liberas, fenus rependens ad 3 %, data facultate quotidie exigendi usque ad lib. 10.000; ex denunciato duorum dierum, lib. 25.000; dierum quatuor, lib. 50.000. — Pro maiore summa cum Mensae moderatore conveniendum est;

b) computationibus pariter quotidianis, at vinculo adstrictis, lucro annuo 4 %, si vinculum erit mensium sex; 4 1/2 %, si mensium duodecim;

c) parsimoniae foventiae sub specie, annuo fructu 3.60 %, cum facultate quotidie deferrendi usque ad lib. 1000, et exigendi ad nutum quotidie lib. 300. De maiore vero summa mandatum dimittitur ad dies tres usque ad lib. 1000; ad dies septem usque ad lib. 5000; ad dies undecim usque ad lib. 10.000; ad dies quindecim, ultra.

Præterea NUMMARIA MENSA ROMANA:

a) perscriptiones compensat duarum personarum certa fide pollutum subscriptione munitas, post menses tres solvendas; idque pro omnibus locis ubi argentaria res publice agatur;

b) mutationum agrestium ad formam, iuxta italicam legem d. 27 Ianuarii 1877 latam, tum Romae tum in Romana provincia requirentibus subvenit;

c) in antecessum solvit atque mercatorio more pecuniam reportat sub praesidio fundorum publicorum, vel pecuniae nominum tum publicae rei, tum industriae privateae;

d) litteras emitit ex credito pro locis ubi commercia tum Italiae tum exterarum gentium maxima aguntur;

e) exteris nummos negotiatur eorumque collybum exercet.

In universum, omnia pertractat quae propria Mensae Nummariae sunt.

## Res in custodiam Mensae traditae.

NUMMARIA MENSA ROMANA fiduciarias res accipit: pecuniae nomina, capsas, cistas latae etiam mensurae, modicam sibi retributionem repetens ex declarato pretio. Recipit pariter pecuniam ad publicorum operum administrationem, nomina tum industriae tum commercii, libellos ad parsimoniam, etc. Deposita huiusmodi fasciculo non clauso exhibentur; acceptorum testimonium concrendenti traditur, in quo singillatim res describuntur. Ad ipsius concrenditis libitum, pretium syngrapharum exigitur, nomina sorte ducta explorantur, etc.

## Res capsarum in custodiam traditae.

NUMMARIA MENSA ROMANA peculiare ufficium constituit ad res pretiosas, pecuniam, nomina aliaque huiusmodi servanda in capsis conducticiis ex chalybe, quae, in magno conclavi collocatae, omnino pariter ex chalybe exstructo, securitatem maximam tum contra incendia, tum contra violationem quamlibet offerunt. Huiusmodi capsae habentur parvae, mediae, maximae; habentur quoque et armaria; locationisque pretium est prouti sequitur:

	Ad mens. 12	Ad mens. 6	Ad mens. 3	Ad mens. 1
Pro capsis parvis:	lib. 15	lib. 10	lib. 6	lib. 4
» mediis:	» 25	» 15	» 10	» 8
» magnis:	» 30	» 20	» 15	» 10
Pro armariis:	» 40	» 30	» 20	» 15

praeter custodiae ius pro singulis lib. 1000 (ad minimum lib. 1000), constitutum lib. 0.35 ad annum. — Depositor libere sua capsa frui potest ab hora decima ad decimam septimam cuiusque diei, festis exceptis.

Premium annu  
march. 10  
FORNARI

DE ARTIS

Post var  
pedimenta,  
benevolo 1  
sacrae ind  
alias tracta  
qualitatibus  
sacrae opus  
impar exsis

Quo nitid  
respondeat,  
nem apprim  
opere duo e  
guenda: ma  
elementum  
pus; forma v  
teriae inflan  
Aliae utriqu  
litates, quar  
totum plena  
obtinet.

Quae sunt  
cabulo comp

<sup>1</sup> Cfr. an. II, fa

.. 75.000.000

in propriis aedibus  
*Marcello)*

eras civitates:

A (in Aegypto), Arezzo, Avezzi, Bengasi (in Cyrenaica), CAIRO, NTINOPOLI (in Turcarum Imperio), Fossano (cum off. in opp. CENANO, Mondovì (cum off. in opp. o, PARIGI (in Gallia), Pinerolo, TORINO, Torre Annunziata, TRI-

## ES ET NEGOTIA.

e accipit:  
rependens ad 3 %, data facultatum dierum, lib. 25.000; dierum atore conveniendum est; vinculis, lucro anno 4 %, si vincu-

, cum facultate quotidie defec-  
to. De maiore vero summa man-  
em usque ad lib. 5000; ad dies

le pollentium subscriptione mun-  
argentaria res publice agatur;  
egem d. 27 Ianuarii 1877 latam,

n reportat sub praesidio fundo-  
industriae privatae;  
tum Italiae tum exterarum gen-  
cet.  
mariae sunt.

## aditae.

cuniae nomina, capsas, cistas latae  
arato pretio. Recipit pariter pecu-  
industriae tum commercii, libellos  
exhibentur; acceptorum testimoni-  
. Ad ipsius concrenditis libitum,  
tur, etc.

## traditiae.

stituit ad res pretiosas, pecuniam,  
chalybe, quae, in magno conclavi  
aximatum tum contra incendia, tum  
penetrarvae, mediae, maximae;  
i sequitur:

Ad mens. 3	Ad mens. 1
lib. 6	lib. 4
» 10	» 8
» 15	» 10
» 20	» 15

lib. 1000), constitutum lib. 0.35 ad  
cima ad decimam septimam cuius-

## ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2,40;  
march. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12) *ante solvendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM  
FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96.* ☐ ☐ ☐ ☐ ☐ ☐ ☐

## DE ARTIS SACRAE EXCELLENTIA ET INDOLE

Post varia itinerum laborumque im-  
pedimenta, liceat mihi solvere promissa  
benevolo lectori olim facta. De artis  
sacrae indole sub aspectu negativo  
alias tractavi;<sup>1</sup> iam agendum est de  
qualitatibus positivis, quas debet artis  
sacrae opus possidere, ne tanto nomini  
impar exsistat.

Quo nitidius haec descriptio menti  
respondeat, placet evocare distinctio-  
nem apprime scholasticam. In quovis  
opere duo elementa sunt sedulo distin-  
guenda: materia et forma. Materia est  
elementum palpabile, ac veluti cor-  
pus; forma vero, invisibilis halitus, ma-  
teriae inflans spiritum, vitam, animam.  
Aliae utriusque elemento convenient  
qualitates, quarum felici connubio opus  
totum plenam suam pulchritudinem  
obtinet.

\*\*

Quae sunt formae, uno possunt vo-  
cabulo comprehendendi. Artis forma est

« ideale », cuius est partus. Non solum  
exemplaris causa qualiscumque, sine  
qua nihil per artem homo producere  
valet: quis enim exprimat verbis, quod  
non prius, saltem per instans, habuerit  
in mente? Sed heic intendimus causam  
exemplarem rebus externis concrete  
conspectis altiore. Talis fulget ab ae-  
terno infinite creata exsuperans mens  
Artificis divini seipsum contemplantis  
et in se ad exemplar sua pulchritudinis  
quidquid extra se in tempore producit,  
pariter ab aeterno contuentis. Unde,  
quum gloria sit artis creatae ut de di-  
vina arte participet, ab exemplari di-  
vino supremam suam accipiat legem  
simul ac nobilitatem oportet.

Iam vero supremum artis creatae  
gradum tenet ars sacra. Decet ergo ut  
huic arti deditusmentem suam superiori  
exemplari conformet eodemque iugiter  
nutriat. Nec ulla externa operis peritia  
defectus interni huius superioris affla-  
tus suppletur. Quot exempla induci  
possunt ad hanc praecipuam verita-  
tem illustrandam! In hac ipsa Urbe,  
quae Orbi deberet artis sacrae praesse  
magistra, nonne pius visitator in mul-  
tis templis offenditur tabulis ac signis,

<sup>1</sup> Cfr. an. II, fasc. IV, pag. 67.

quae peritissimos quidem demonstrant artifices, at non minus « ideali afflato » destitutos? Quis, verbi gratia, basilicas Sanctae Crucis et Sancti Pancratii invisens, non deplorat venerabilia haec sanctuaria recenti aetate fuisse deturpata picturis, quae in altero opera misericordiae, in altero vitam martyris et Christi mortem exhibent spiritu tam « realistico », quin et vulgari, ut a pietate contuentes avertant? Eodem radicali vito laborant passim elucubrations scholae modernae « spiritismo sensuali » addictae, quas imo peiores iure dixerim, quippe quarum venenum sub perfida specie facilius imbibunt incauti.

Nec sufficit operi artis sacrae superior afflatus qualiscumque; oportet insuper ut spiritu animetur *christiano*. Liceat mihi mentem illustrare adducens musicum, cuius ingenium sane ferax ideali insuper vasto nutriebatur, Richardum Wagnerum; quem, si afflatus vere christianus animasset, non videremus a suis tenacissimis in Germania asseclis pontificem novae religionis artisticae, sicuti falsarium Haeckel monisticae, celebratum. Nec afferas celeberrimum opus *Parcifal*<sup>1</sup> ad christianum Wagneri sensum vindicandum. Imo hac christiani cultus parodia defectus eiusdem sensus illustratur magis. Nec mirum. Pantheisticis quippe placitis mente addictus sicuti et moribus, quomodo potuisset genuino cantu exprimere sensus, quibus animum gerebat destitutum?

Sed et *catholico* spiritu imbutam esse artem nostram sacram oportet. Huius artis praecellens magistra exstat Liturgia, cuius pulchritudinem summam ipse Wagner altis verbis proclamabat. Etenim dogmatica praecisione simul et ubertate est norma artis sacrae tutissima et thesaurus nunquam exhaustus; lyricalia insuper exultantia, quae theatrales excessus non devitat modo, sed et prorsus ignorat, stimulat affectus castisque animos implet deliciis.

Exemplari hoc apprime *catholico* eminentem inter pictores locum in Italia tenet *Fesulanus Beatus*, iure dictus Angelicus; clarent quoque apud Flandros famosi fratres *Ioannes et Hubertus van Eyck*, *Rugerus van der Weyden*, *Ioannes Memling*, *Quintinus Matsys*, aliique non pauci. Unde *Michaël Angelus*, licet aliam longe viam ipse premens, de *Angelico* dicere solebat, artem eius esse superna contemplantis.

\* \*

Sed idealis forma, licet praecelsa, non sufficit. Sine elemento materiali, sibi remanet inclusa. Nisi apte exprimitur, non potest apparere nisi imperfekte. Inde absoluta necessitas ut exemplari mente concepto adaequata media sensibilia respondeant. Technica quippe peritia, nedum spirituali elemento obsit, eiusdem est instrumentum aptissimum. Da mihi hominem sublimitate ingenii cordisque calore praecipuum: gerit in anima dotes quae faciunt oratores magnos. Si tamen ore sit impeditus, aut verborum ei copia et elegantia desit, orator summus in potentia, non erit actu nisi sibimetipsi inferior.

<sup>1</sup> Opus hoc demonstrat nihilominus Wagnerum praestigium christiana religionis sensisse. Inde iras suas in se ab impiissimo Nietzsche provocavit.

Quam si technicam unice peritiam inspicimus, peritores sane epochae a « Renascentia » dictae plerisque praestant artificibus, qui antecedentem aetatem arte sua collustrarunt; spiritu tamen istis illi passim cedunt. Vicissim affirmare licet, quod et progressione eorum operum redditur manifestum: si quos modo celebrabam, superioris aetatis pictores eximii, non excluso ipso *Angelico*, artis suae technicas difficultates securiori adhuc manu superare valuissent, et opera pari gradu ad absolutam perfectionem vicinius approximantia nobis reliquissent.

At hic seductionis adiacet periculum. Quum enim assiduum naturae, imprimis ipsius humani corporis, studium sit proxima technicae perfectionis schola, nisi spiritus sensuum blandimentis dominetur, hoc studium facillime secum trahet materialis formae cultum, quo superior forma idealis praefocatur. Unde non solum, ceteris paribus, praferenda sunt opera in quibus praevalet spiritus; sed, ne spiritus detrimentum accipiat, artis sacrae magister gravitate et sobrietate materiales formas, perite quidem expressas, a sensuali contagio servare satagat.

Quod et in arte musica, aliis utique mediis, est praे mente tenendum. Dum Wagner pantheisticae, uti dicebam, artis praeco, sensualibus sonorum successionibus et quasi contorsionibus large indulget, moderni musici sacri, uti nuper defunctus Edgar Tinel, sane unus e summis, modulantur concentus technica peritia non inferiores, sed priores affectus excitantes.

Quae gravitatis lex eloquentiam quoque sacram a profana eloquentia di-

scernat, quemadmodum in allocutione nuper in aedibus Vaticanis ad concionatores quadragesimales habita nervose illustravit SS<sup>m</sup> D. N. Benedictus XV, exemplo adducto Apostoli Gentium. Ars quippe dicendi, quae, puellae instar se in speculo mirantis, audientium mentes ab argumento avulsa ad loquentis peritiam advocat, est eloquentia sacra prorsus indigna, utpote vano latrocinio deturpata; imo non est nisi fallax artis verae species. Quin et in genere, nisi agatur de academico ludo, eo est peritia sermonis efficacior, quo sedulius abscondit se ipsam, ut illustrandis ideis affectibus que excitandis unice inserviat.

\* \*

Haec de qualitatibus positivis quibus ars sacra eminere debet, pro inde huius commentarii dixisse sufficiat.

Quum in dies nova excrescat forma artis, quam « cinematographicam » appellant, eaque in ipsum artis sacrae nobiliorem campum moveat gressum, de hac artis forma, necnon de conditionibus quibus debeat facere satis ut argumenta sacra decenter tractet, proxime nonnihil addemus.

LAURENTIUS JANSSENS, O. S. B.

### De speciosa forma in Christo Domino.

Sacrae Litterae saepius efferunt pulchritudinem Messiae, qui est speciosus forma praē filiis hominum, candidus et rubicundus, praē cunctis amabilis et amandus.<sup>1</sup>

<sup>1</sup> Ps. XLIV, 3, 5; Cantic., I, 15, V, 10.

Qui textus aut de pulchritudine divina, aut de miro gratiae nitore, aut etiam de physica integrae humanitatis pulchritudine intelligi possunt.

Speciosam fuisse eius animam nul-  
tatenus ambigitur. Christus est *novus homo*, forma nempe et exemplar, cui deberent omnes assimilari: unde, sicut Adamus ideo meliorem sortitus est animam quia erat humani generis caput, ita debuit in anima, intellectu et voluntate caeterisque facultatibus Christi Domini colligi quidquid perfectum et decorum est.

Decet quam maxime ut proportio quaedam vigeat inter animam ipsam et finem, cui adimplendo cooperatur: est autem finis ille redemptio, quae censetur ultimus divinorum operum apex; ne ergo foret Christi anima officio impar, debuit omnes specie praestare.

Quidam scriptores ecclesiastici ex textu Isaiae: « Non est species ei neque decor<sup>1</sup> », inferre conantur defuisse Christo corpoream pulchritudinem. Verum ex tota prophetiae serie manifeste liquet locum illum esse de passione accipendum, in qua fuit Christus opprobriis et contemptui obiectus. Sententia illa paucos patronos apud SS. Patres nacta est.

Clemens Alexandrinus Christum exhibet specie carentem ac deformem, quo efficacius excitentur christiani ad perennem pulchritudinem appetendam.<sup>2</sup>

Origenes vult corpus Iesu deforme quidem fuisse, sed tamen generosum.<sup>3</sup>

<sup>1</sup> ISAIAS, LIII, 2.

<sup>2</sup> CLEMENS ALEXANDR., *Paedagog.*, III, 1; *Strom.*, III, 17, VI, 17; *P. G.*, VIII, 558, 1208; IX, 381.

<sup>3</sup> ORIGEN., *Cont. Cels.*, VI, n. 75; *P. G.*, XI, 1409 ss.

Tertullianus Christo defuisse honestam formam ex eo probare contendit, quod non ausi essent milites pulchram faciem contaminare. « An ausus esset aliquis ungue summo perstringere corpus novum, sputaminibus contaminare faciem nisi merentem? »<sup>4</sup>

At rectissime animadvertisit cl. Laurentius Janssens: « Debilis argumentatio; nam agoniae squalor faciem Christi iam immutaverat. Insuper quoties in martyrum actibus legimus formosos iuvenes, virgines intemeratas, omni immanitate a carnificibus laceratos! Malitia quippe inhumani animi in deturpanda specie, veluti alimentum saevitiae belluanaeque voluptatis reperit, nedum ab ea detineatur ».<sup>5</sup>

Quocirca sententiam illam de Christo deformi reprobant communiter theologi, pluresque ut imprudentem aut etiam temerariam percellunt.<sup>6</sup>

Patres ceteri potius decoram formam mirantur. S. Chrysostomus recolit Iesum fuisse gratiosissimum aspectu;<sup>7</sup> et S. Hieronymus concludit: « Sed absque passionibus crucis universis pulchrior est virgo de virginе, qui non ex voluntate viri sed ex Deo natus est ».<sup>8</sup>

Doctores catholici, ut S. Bernardus, S. Bonaventura, corporales deformitates à Christo penitus excludunt;<sup>9</sup>

<sup>1</sup> TERTULL., *De Carne Christi*, IX; *P. L.*, II, 817.

<sup>2</sup> L. JANSSENS, *De Deo Homine*, I, 508.

<sup>3</sup> Cfr. SALMANTICENSES, *Disp.* XXIV, n. 14.

<sup>4</sup> S. CHRYSOST., *Homil.* 27, al. 28, *in Matth.*; *P. G.*, LVII, 346.

<sup>5</sup> Cfr. S. HIERON., *Epist. ad Principiam*, n. 8, et *Comm. in Matth.*, IX, 9, 11, XXI, 15; *P. L.*, XXII, 627, XXV, 57 ss.

<sup>6</sup> S. BERNARD., *Sermo in festo Omnia Sanctorum*, n. 9; *P. L.*, CLXXII; S. BONAVENT.. III, *Sent.*, dist. 15, a. 2.

S. Thomas quaestionem ita solvit, ut Christus pulchritudinem, utut non externe apparentem, veram tamen, habuerit: « Christo non erat aspectus magnificus, secundum quod dicitur species Priami digna est imperio ... Pulchritudinem Christus habuit secundum quod competebat ad statum et reverentiam suae conditionis ».<sup>1</sup>

Non defuisse igitur Christo corporaliter speciem variae rationes suadent.

Deformitas non est ex se meritoria nec officio redemptoris inservit, imo potius, animas quasi repellendo, potest obesse; dum pulchritudo est splendor, qui spiritus vim ac nobilitatem et excellentiam demonstrat.

In ceteris hominibus animae decor non plene reluet in corpore propter indispositionem materiae, quae spiritui non obedit; at in Christo huiusmodi impedimentum consistere nequit. Quum enim fuerit corpus virtute Spiritus Sancti formatum, debuit ab anima resplendentiam et perfectionem absque defectu suscipere.

Hinc alia subministratur ratio. Opera miraculosa excellentiam prae se ferunt, ut in ipsis causa praestantissima agnoscatur. Quam rationem egregie effert Doctor Angelicus: « Nam et secundum corpus erat optime complexionatus, quum corpus eius fuerit formatum miraculose, operatione Spiritus Sancti: sicut et alia quae per miracula facta sunt, fuerunt aliis potiora, ut Chrysostomus dicit de vino in quod Christus aquam convertit in nuptiis ».<sup>2</sup>

<sup>1</sup> S. THOM., *In Isaiam*, LIII, et *In Ps. XLIV*.

<sup>2</sup> S. THOM., III P., q. 46, a. 6.

Denique, propter unionem ad Verbum, debuit corpus decore donari.

Recolunt catholici Doctores Adami corpus pulcherrimum exstisse, quia erat ille typus Christi futuri, iuxta celeberrimum Tertulliani effatum: « Quodcumque enim limus exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus ».<sup>3</sup>

Multo igitur magis erit corpus Christi formosum, eo quod maxima et arctissima unione coniungatur Verbo, primo et indeficienti verae pulchritudinis fonti. Cetera autem humana corpora eo plenius pulchritudinem consequentur, quo in resurrectione perfectius corpori Domini configurabuntur.

Ea tamen speciosa forma Christi inter homines degentis est aliquatenus abscondita, serena et purissima, quae, idcirco, ut plene perspiciat, requirit intuitum animae sanctae.<sup>4</sup>

EDUARDUS HUGON, O. P.

## De Cantabrigii et Oxonii Collegiis apud Anglos

SUBALPINUS omnibus *Almam Romam* legentibus plurimam in Domino salutem dicit.

Humanissime vos salvere iubeo, cunctaque bona laetus auspicor. Namque *veni, vidi et... redii...* Quod olim Caesar senatu Romano res a se praclare gestas renuntians scripsit, ego parce quidem detortum, vobis scripturus in rem

<sup>1</sup> TERTULL., *De resurrect. carnis*, c. VI; *P. L.*, II, 848.

<sup>2</sup> Cfr. L. JANSSENS, op. cit., pp. 505-525; ED. HUGON, *Le mystère de l'Incarnation*, pp. 129-139.

meam refero. In ipsis enim temporis labentis difficultatibus, omnibus periculis neglectis, invisere volui, *sive in corpore, sive extra corpus* nescio, non nullas terras longinquas, animique causa, scholas litterarum celebriores peragrare, et data occasione, pro viribus, in aliorum commodum exarare, quae meliora occurserent. Hodie sit epistolae meae argumentum de Cantabrigii Collegiis atque Oxonii apud Anglos parvulas notitias delibare.

Vel usque ab annis quum paene puer magnum Augustae Taurinorum Athenaeum frequentavi, et, quorumdam clarissimorum magistrorum celebritate adlectus, quod eorum quoque familiaritate fruerer etiam atque etiam gaudebam, hanc scientiae sedem visitare identidem in deliciis habui. Illo enim tempore hic domus mihi erat, hic alma parens, hanc patriam mihi esse putabam. Et alia mox iam grandaevus vidi, magna popolorum studia descripsi... Sed ubique gentium eadem rerum facies, idemque adspectus. Quoties in mentem mihi venerunt illa Ovidii carmina de musis:

... *Facies non omnibus una  
Nec diversa tamen, qualem decet esse sororum!*

Idem enim iuvenum exsultantium clamor, idem hilarantium strepitus, et vel inter doctorum acroases, eadem illa iuvenilis iactantia et levitas, qua saepe haec aetas omnibus adprobatur ac percrebrescit.

Ab hoc tamen numero, si verum utique videam, Cantabrigium Collegium atque Oxonium excipiendum esse arbitror. Quae rerum diversitas! Utrumque Collegium, labente saeculo decimo

secundo vel tertio conditum, eamdem semper imaginem retinet, eudemque morem. Omnim enim Anglicorum Collegiorum vetustissima eisdem in iuvenili institutione legibus mordicus adhaerent; atque eorum alumni, rara nunc avis, in fixis sedibus habitant. Quo nomine utrumque prae ceteris in omnibus fere reipublicae muneribus alumnos adnumerare consuevit. Praeclarum sibi nomen per tot saeculorum seriem obtinuit, vel ob magistrorum numerum atque sapientiam, vel ob ipsam alumnum nobilitatem. Haec duo Collegia sororio veluti vinculo devincta esse putaveris. Etenim hae duae urbes, quarum altera ad orientem spectat, altera ad occidentem, totius Anglorum imperii sapientiae poli vulgo adpellantur. Insignis haec gloria iusta mihi esse videtur, et citra omnem invidiam. In omnibus enim Angliae regionibus, ni universi propemodum orbis dicam, clarissimos eorum alumnos facile invenies. Et paulo ante vel inter strenuos ad Australem plagam navigantes, haud pauci ex Cantabrigii Collegio sunt egressi.

Haud velim me incusari iniustum adversus alia Angliae lycae; quod totus sim in laudibus ferendis hisce duobus. Scio equidem, has percelebres scholas haud posse, pro re nata et nullo prorsus opere, scientiam cum discipulis communicare. Longe mihi alia mens est, amicissimi. Nec in immensa illa urbe Londino, etsi commerciis undique difflente, insignes desiderantur ingeniorum palaestrae, nec in aliis clarissimi huius imperii civitatibus: sed ista Collegia, longa iam aetate veneranda, maioribus quoque laudibus exornantur, ob insita sibi praeclera neque

spernenda merita. Haec enim in primis omnem Anglorum indolem referunt, ut maxime adprobatur illud vestitissimum effatum: *Mens sana in corpore sano*. Ibi alumni ludis gymnasticis magnos membrorum artus laceratosque assidue exercent. At ipsa omnino nostra sunt. Christianam enim undique, eamdemque romanam effigiem seu sapientiam redolent. Cantabrigii sunt viginti circiter puerorum collegia; quorum tredecim condita fuerunt antequam miserum in modum Anglia a catholica veritate descisceret. Re enim vera Collegium Sancto Petro dicatum, omnium antiquissimum, ab Hugone de Balsamo, Sancti Benedicti discipulo, anno millesimo ducentesimo, vel ineunte tercentesimo conditum fuit. Et suffragante Henrico, Lancastriae Duce, cum Gilda uxore, paulo post est Collegium aedificatum, cui olim erat nomen *Domus Scholarum Pretiosi Corporis I. Ch. et gloriosae Mariae Virginis*: hodie vero recentiori vocabulo adpellatur *Corporis Christi Collegium*.

Anno denique millesimo quinto et quinquagesimo, Margarita Richmondiae comitissa et mater Henrici Septimi regis, ad honorem Iesu Christi et Fidei eius incrementum fundavit Collegium, quod nostra aetate *Christi Collegium* passim vocatur.

Quum, lamentabili casu, dissidium est inter Henricum Octavum et Romanos Pontifices exortum, complura quoque Collegia alibi aperta sunt; sed unum modo Collegium conditum est anno millesimo octingentesimo atque octogesimo. Hoc fortasse nomine ne huic saeculo tot mirabilibus inventis cele-

brigii collegio; quae, mutatis leviter mutandis, Oxonii habetur.

Haec aliaque complura videnda atque admiranda ei sunt, qui inter illa Collegiorum atria immortalia vagus fertur, et, ab omnibus honestissime acceptus, salutationis verba cum omnibus, - evohe! - latino sermone latissime serere potest.

Si meum tandem vobiscum velim consilium hac de re libero ore communicare, hoc unum addam, illa Collegia, mea quidem sententia, magnam iam de se fiduciam in praesentiarum dare, at maiorem in aevum, auctis etiam magisteriis, profecto esse datura. - Valete.

## *Intima parentum gaudia*

### *Infans sopori deditus.*

*Serena caeli gratia  
tralucet ex infantulo,  
qui matris inter brachia  
iacet, sopori deditus.*

*Sub fronte mire candida  
genae rubescunt, aemulae  
rosae recentis; coccina  
patent labella risui.*

*Visu beatur adstupens  
mater; beatur vespre  
redux pater, cui dulcia  
sol occidens dat otia.*

*Diurna pellit taedia  
nati venustas; interim  
adulta nox ab aethere  
horas quietas advocat.*

*O quanta caeli gratia  
tralucet ex infantulo,  
qui matris inter brachia  
iacet, sopori deditus!*

### *Infans matri primum arridens.*

*En matris ora fixius  
inspectat infans: agnita  
tandem parente, primulo  
laxat labella risui.*

*« Arrisit! » - exclamat parens -  
quae tot repente gaudia  
capessit, haec ut integris  
vix ferre possit sensibus.*

*Haustura vires, lumina  
claudit parumper: melleum  
amor sed urget intimus  
spectare rursus filium.*

*Arridet huius risui  
illacrimante pupula,  
lux unde, donum Numinis,  
materna fulget caritas.*

Ex italico carmine LUCIANI VISCHI  
vertit FR. X. REUSS.

## VETERA ET NOVA

### *De monumentis castrensis.<sup>1</sup>*

Quod munimen *trincea* apud Italos, *tranchée* apud Gallos nunc appellatur, ex fovea constat plus minusve producta,<sup>2</sup> hominis altitudinem prope aequante, ita ut milites qui in ea receptantur tuli satis, neve quidquam ab humo eminentes existent. Foveae autem labra cooperienti massa teguntur, terra praesertim in loco effossa ac plerumque sacculis condita, inter quos manubalistas ad defensionem milites iniiciunt. Huiusmodi itaque castrensia muni-

<sup>1</sup> Cfr. huius anni fasc. II, pag. 28.

<sup>2</sup> Foveam equidem sonant et vox Anglicæ *trench* et Germanica *graben*, vel *laufgraben* = fossa ambulatoria.

menta esse fossas nemo neget; quamquam fossas simpliciter dicere nequimus, quippe fossa, licet genericum verbum, scrobes illas proprie denotet, quae circum arces et propugnacula aguntur aquisque pro opportunitate inundantur. Quid igitur? Ut caecam fossam vidimus,<sup>1</sup> nonne *aggeratam fossam* ad *trincea* designandam in latinitatem inducamus? « Aggerare » enim est accumulare, in aggeris morem coacervare; « aggerare arborem » est « circa arbores terram congerere et veluti circumunire, ne nimio calore exarscent »;<sup>2</sup> aggeratam igitur fossam nonne hanc, de qua loquimur, dicemus, cuius orae equidem terra, uti descripsimus, ad defensionem circumsepiuntur?

At aggeratae hae fossae saepe saepius inter se per involutos transitus connectuntur; hos, ni *caecas fossas*, appellari *vineas* posse crediderim, sumpta vocabuli significatione ex ipsa eius origine, scilicet a similitudine verae vineae, quae iugata et in tectum allevata. « Sub illa quia considere fas, et latera sic clausa; haec quoque militaris nomen sumpsit ».<sup>3</sup> Ad nullam enim aliam machinam aptari nunc posse puto veterum vineas, quas ita describit Vegetius (lib. IV, cap. XV): « E lignis levioribus machina colligatur, alta pedibus octo, lata septem, longa sedecim. Huius tectum dupli munitione, tabulatis cratibusque<sup>4</sup> contextur. Latera

quoque vimine saepiuntur, ne saxorum telorumque impetu penetrantur. Extrinsecus autem, ne immisso concrementur incendio, crudis ac recentibus coriis vel centonibus operitur. Quum plures factae fuerint, iunguntur in ordinem, sub quibus subsidentes<sup>1</sup> tuta ad subruenda murorum penetrant fundamenta ». Certum autem est, vinearum usum ad tegendum imprimis fuisse,<sup>2</sup> easque latius interdum produci, ita ut et « porticus » appellatae quoque fuerint, hoc est tecta via, coopertus transgressus.<sup>3</sup>

Restat ut de *pluteis* verba habeamus.

Plutei nomine universim quaevis tegumenta et munitiones distincta sunt, quae alicui rei praefigerentur ad vim et ignem hostilem arcendum. Itaque Caesar (*De bell. gall.*, VII, 41): « Dibus relictis portis, obstruere ceteras, pluteosque vallo addere »; et ibid., 25: « Eo magis, quod deustos pluteos turrium videbant ». Idem, *Bell. civ.*, 24: « Scaphas navium magnarum cratibus pluteisque contextit »; et ibidem, I, 25: « Rates a fronte atque ab utroque latere cratibus ac pluteis protegebant ». Et Livius (X, 38): « Ibi mediis fere castris locus est conceptus cratibus pluteisque et linteis contextus, patens ducentos maxime pedes in omnes pariter partes ».

quam vimenta illa, quae ad parietes fossarum sustinendas ne prolabantur etiam nunc adhibentur.

<sup>1</sup> Quidam legunt: « obsidentes ».

<sup>2</sup> FORCELLINI, *Tot. lat. lex.*, voc. *aggero*. — COLUM., II, 2: « Omnes arbores fructiferae circumfossae aggerari debent ».

<sup>3</sup> LIPSIUS, *Polyorc.*, lib. I, dial. VII.

<sup>4</sup> Non equidem crates hae intelligendae sunt ac nos unum cum hodiernis *reticulatis* fecimus; sed tam-

Propius autem ad rem accedentes, huiusmodi machinam eam fuisse inventimus qua, ex tabulis, asseribus similibusque constante, milites protecti ab hostilibus iniuriis, opus facerent. Ita enim Festus: « Plutei dicuntur crates corio crudo intextae, quae solebant apponi militibus opus facientibus, et appellabantur militares ». At peculiarter pluteos apud Vegetum (*Milit.*, IV, 15) descriptos invenimus: « Plutei – inquit – dicuntur, qui ad similitudinem absidis contexuntur a vimine, et ciliciis vel coriis proteguntur, ternisque rotulis, quarum una in medio, duae in capitibus apponuntur, in quamcumque partem volueris admoventur, more carpenti: quos obsidentes applicant muris, eorumque munitione protecti, sagittis sive fundis, vel missilibus defensores omnes de propugnaculis exturbant ... ». Neque Vitruvium omittemus, qui scripsit (X, 21): « Super caput eorum, qui continebant arietem, collatum erat pluteum, turriculae similitudine ornatum, ut sine periculo duo milites tuto stantes prospicere possent et renunciare quas res adversarii conarentur ». Quibus si addiderimus plutei inter significationes illam quoque esse septi ex marmore, lateribus aut alia materie, quo intercolumnium claudi et sepri solet,<sup>1</sup> haud temere videmur hoc vocabulo appellare nos hodie posse opera illa, quae *mobilia praesidia* (refugia, receptus, receptacula et sim., vulgo in castris audiunt; non aedepoli! nunc semper vimine, ciliciis, corio protecta; imo vero chalybeis loricis, quae deletricibus glaudibus resistant

ex magnis hodiernis catapultis emissis. Quo in casu *pluteos cataphractos* dixerim.

Iamvero de munimentis castrensis argumentum me absolvisse puto. Mens est non minoris momenti aliud attingendi, et ad rem bellicam spectans; quod tamen hodie in expectatione vobis relinquo.

I. F.


#### INGENUARUM ARTIUM SPECIMINA

CHRISTI RESURRECTIO,  
QUAM PETRUS VANNUCCI PINXIT.

Exeunte saec. XIV atque XV ineunte, ingenuae artes, post sexdecim saeculorum intermissionem, per hominis operam – ut scripsit Hippolytus Taine – ad typum superioris humanitatis assurgunt; pictoria autem, quam defectus veterum exemplarium, in renascenti illa antiquarum rerum forma, ceteris artibus posthabuerat, ob ipsum adamassim defectum, sororibus suis magnificentia ac varietate longe praestat. Re quidem vera, dum sculptura cum Bonarroti, architectura cum Bramante, ac deinde cum Palladio, comprehendit omnino possunt; pictura una, a Mantegna ad Ferrarensis scholae artifices, a Benotio Gozzoli ad Leonardum et Urbinate, a Melozzo de Ambrosiis ad Signorellum, a Blasio vulgo *Pinturicchio* ad Raibolinum; a Giambellino ad Titianum Veronensemque Paulum, seriem amplissimam celebratissimorum artificum constituit; qui a proprio cuiusque ingenio atque a na-

tura artis suae rationes deducentes, ad perfectam pulchri speciem pervenirent, quum tamen varietatem nativam-

*Alumni* cognomine notum, ad Petrum Vannucci adduxit, Perusinum antonomastice appellatum, apud quem mira



que indolem servarent, singularum Italiae regionum propriam, quarum quaeque suam picturam habuit.

In hisce Umbra schola emicuit, quae a Gentile Fabrianensi inita, per Benedictum Bonfigli, Florentium de Laurentio, atque Nicolaum Fulginatem,

figurarum suavitas cum vigore coniuncta per colorum vim perficitur, singulaeque adiunctae res (« topia » Perusinus dilexit, per quae dulcedinem novam eamque peculiarem tabulis suis infudit) a mystico spiritu haudquam dissociantur.

<sup>1</sup> VITRUV., IV, 4 et V, 1.

Exemplo sit tabula de Christi resurrectione in pynacotheca Vaticana aservata, quam hodie in nostris paginis intuendam offerimus.

X.

## PRO IUNIORIBUS

### *De Chlodoaldo narratio.<sup>1</sup>*

Exstitit tandem tempus illud, optatum magis, quam speratum, quo sibi visum est, negotium totum illud, per hospites, quos recens Dii immortales suo bono illis oris appulerant, posse non naviter solum geri, sed, in quo erant omnia, ex sententia confici. Itaque devinciendo officiis rata, atque omni humanitate mulcendos, custodibus mandaverat, ne quidquam negotii illis facesserent, quin adeo, quacumque in re possent, commodarent. Deinde, ab hoc aditu ianuaque patefacta, facilime se ad ea, quae cuperet, pervenire posse confidens, in eum venit locum, ubi Ischirion cum comite capitis sententiam haud dubiam praestolabatur: tum pessula immania, carceris foribus obdita, ingenti cum strepitu removet, ingreditur, inscosque quid rei illud esset, prior alloquitur: «Dubitabis, opinor, nec temere, o vos, digni uterque, quibus melior fortuna contigisset, openque huc allatura, an capitale suppliū illatura, descenderim. Etenim et illam sperare ab muliebri ingenio a caede, ut plurimum abhorrente, et hoc propter eam auctoritatem qua sacerdos

maxima polleo, vereri ex aequo potestis. Sed desinite, amabo vos, nolite tale quidquam suspicari: nec enim ita bene mihi est, ut aut de aliorum suppicio sumendo, aut de meis in quopiam beneficiis collocandis, possim cogitare. Ea mea conditio est, ut utrumque a vobis et expetere et exspectare malim. Quare aut vos, non mihi studio, opera, labore defuturos, pollicemini, aut ferro vitam hanc invisam eripite. Utrum enim a vobis impetravero, in summi beneficij loco ponam ».

Secundum quae verba fletu perorata, amplificata gemitibus, exaggerata suspiriis, pudibundos in terram oculos deiecit. Quam sic est Ischirion paucis aggressus erigere: «Ex iis rebus duabus, o domina, quarum alterutram a nobis fieri vis (etenim pro me hoc, et pro meo socio respondeo) quae minus in nostra sit potestate, omnino ignoramus. Quid enim operam, aut laborem tibi, aut cuiquam hominum polliceamur, quorum sit omne conamen irritum futurum, cum durissimis vinculis ipsaemet hae manus arceantur? Qui autem illas (id enim a te proxime flagitamus) nullo antehac scelere pollutas, nefario ac portenti simili parricidio commaculemus? Dedit has nobis natura illustrum facinorum, quorum ubique praeclera vestigia reliquimus, socias et administras; non quibus ad omne immane facinus abuteremur. Itaque in hoc negotio te a nobis posse adiuvari, nihil est sane, quod cogites. Sed quid est tandem, quod te tantopere commoveat? Licet enim ad dolorem penitus abstergendum non multum intersit, tamen ad illius non mediocre levamentum quiddam interest, te nobis aperire tan-

tae aegritudinis causas; quam si non adimere, at certe minuere, aut consolatione possumus, aut consilio, quod ipsum est per se magna consolatio ».

(Ad proximum numerum).

H. L.

ctissimi magistri vestigiis insistens, in ipso iuventutis flore, aequalium laudem senili prudentia praevertens, pietate, modestia, iuventutis studio, omnibus fuit carissimus.

Adolescens adhuc et gravi morbo tentatus, nihilo segnus inferiores litteras sic arripuit, ut in maximo Taurinensi studio, vix annum vigesimum secundum attingens, politiorum litterarum doctor cum laude omnibusque suffragiis renuntiaretur.

Multo ante ad docendos pueros vocatus, munus sic obivit, ut sui securus, posthabita valetudine, alumnos non modo ad litterarum cultum informaverit, sed ad exemplar quoque vitae purioris, pietate, doctrina insignes, optimè in se animatos finxerit. Adeo in teneris consuescere multum est! Quo facto, certus cuilibet se obiectare periculo quam vel tantillum ab officio recedere, egregiam operam patri navavit, in sancta puerorum institutione, primum Augustae Taurinorum, mox *Mirabelli* in agro Montisferrati, denique in Collegio *Alassii*, in litore Ligustico ad occidentalem plagam, ubi munus suum per multos annos singulari diligentia, ac moderatione gessit.

Vir integræ naturae, et nulla in re nimius, esse quam videri bonus maluit. Consili atque integritatis laudem egregia animi mansuetudine cumulavit. In maxima temporum difficultate, rei omni Salesianorum litterariae publicae curandæ adscitus, labores improbos tulit, et sodales re et consilio iuvit. Atque adeo exspectationem, quam sui de ipso concitaverant, singulari consilio, industria ac lenitate, confirmavit ac supergressus est. Hoc in mu-

<sup>1</sup> Cfr. num. sup.

## FRANCISCUS CERRUTI

Quem nuper anno quinquagesimo ab inito sacerdotio, Deo gratias agentes, ad altare adeuntem sacrum facturum amicum salutavimus, atque incredibilem laetitiam suam cum sodalibus propinquis ceterisque amicis communicantem vidimus, maiori spe animum tollentem, nunc inter suorum moerorem ac preces defunctum lugemus.

Ei, humili loco nato in vico *Saluggia* apud Vercellas in Subalpinis, anno octingentesimo quarto et quadragesimo supra millesimum, erat ingenium a natura praeclearum, sed omnium mitissimum. Pene puer, amisso patre, domestica matris consuetudine christiana domi excultus, Augustae Taurinorum crevit atque altus est sub ductu consilioque Ioannis Bosco, cuius nomen et virtutum claritas mirum in modum vel ab illa aetate percrebrescebat. Hunc vero subito uti alterum parentem coluit, eumque in dies non modo amat, sed dilexit, sibique exemplar bona rum omnium artium propositum fideliter secutus, nunquam ab eius latere discedere statuit.

Franciscus docilem suam mentem litteris et altioribus disciplinis excoluit, et, sacerdotio auctus, singulari pietatis studio et sanctissimis moribus in exemplum enituit. Patris eiusdemque san-

nere obeundo tam feliciter omnia fecit,  
ut nos admirati diceremus: Res magna!  
Ei Deus *imperium sine fine dedit!*

Doctis interea laboriosisque volumi-  
nibus editis, nominis famam ac sodalium  
suorum decus posteritati propagavit.

Haec obiter scribens, me pulcher-  
rima praeterire vel imminuere neces-  
sitatem compulsa libero ore profiteor.  
Namque scriptor sui temporis politissimus,  
atque egregius antiquitatis vin-  
dex, identidem libros edidit, qui ex  
germana Patris Legiferi doctrina sacerda-  
tecta Salesianorum instituta servavit.  
Novissime civilem scholarum libertatem  
scriptis et sermonibus solleter adseruit;  
atque adeo catholicae sapientiae  
sectatores libentes merito plauserunt.

Extremo suo tempore, labante in  
dies valetudine, diuturnis doloribus af-  
flictatus, memorabilis constantiae exem-  
plum omnibus reliquit.

Vixit in magnis rerum difficultatibus,  
sed ad extremum usque vitae suae  
tempus, ita singulari floruit acumine  
et memoria, ut vix aliud esse possit  
beatoris senectutis exemplum. Deo at  
semper defixus, mortalem vitam im-  
mortali placide commutavit *Alassii*,  
inter sodalium lacrimas ac preces, qui  
in contemplatione virtutum suarum  
quiescentes, enixe adprecantur, ut Deus  
misericors, quem sanctissime in terris  
coluit, beatas ei reserat caelitum sedes.

In tam cari capitum iactura ego moe-  
rens, in amoris atque grati animi mo-  
numentum haec rapide scripsi!

Ave, studium nuper nostrum, nunc  
desiderium, et vale in pace.

Augustae Taurinorum, septimo Kalend. Aprilis  
MCMXVII.

I. B. FRANCESIA.

## ANNALES

### Europaeum bellum.

Anglorum Gallorumque impetus ad  
Teutones ex occupatis in Gallia regio-  
nibus removendos, auspicatis omnibus  
ita per superiorem mensem Martium  
sequuti sunt, ut hinc, iuxta Ancre flu-  
men munitissimo oppido Bapaume  
recepto, ad septem triones victricia  
arma Cameracum versus iam tendant;  
inde, loca prope omnia in Cathelauniis  
campis amissa, sub antiqua civili ditio-  
ne restituta fuerint. Consociati deinde  
exercitus ad Nesles coiverunt, simul-  
que nunc hostes premunt, qui ferro et  
igni omnia in suo receptu crudeliter  
pessum dantes, ad orientalem usque  
oram recesserunt canalis S. Quintini,  
ubi fortasse iustum proelium pugna-  
bitur. Quo Anglo-Gallorum agmina a  
se retraherent, aut saltem remoraren-  
tur, Germani novam offensionem ad  
laevam Mosae fluminis atque in ipsa  
Picardia tentarunt; eiusmodi vero co-  
natus irriti cesserunt.

Neque minores successus foederatae  
civitates in orientalibus plagis reportarunt:  
in Albania enim Itali et Galli  
kopias suas, ex oppositis partibus pro-  
cedentes, coniungere valuerunt; Angli  
autem Bagdad urbem die xi Martii a  
Turcarum dominatione vindicarunt feliciter;  
quinimo Turcarum rationes omnes, tum in Mesopotamia, tum in  
Perside occidentali gerendi belli, funditus per hanc victoriam everterunt.  
Ea enim in minore illa Asia est rerum  
conditio, ut a Persico sinu ad Kut-el-  
Amara et pontum usque, Angli trans-

itum quemvis ab Asiatico ad Euro-  
paeum Turcarum imperium interci-  
piant; ab Hamadan autem, in Perside  
recens occupata, ad Arbehir; ab Erze-  
rum ad Bapum atque Trapezuntium,  
series haud fere interrupta munitorum  
locorum exstet, unde Russi, qui ea  
tenent, itinera saepiant, quae ab Euro-  
paeo Turcarum regno ad Asiaticum  
adducant. Neque satis; namque Russi,  
et interioris Armeniae plura oppida  
insedere.

Hisce superioris mensis bellicis even-  
tibus praecipuis facere haud possumus  
quin addamus, per Summi Pontificis  
Benedicti XV paternam sollicitudinem  
effectum esse, ut civium Belgarum vio-  
lentis transvectionibus ad labores per  
vim in Germania exercendos, indigno  
nostra aetate atque lacrimabili servi-  
tutis spectaculo, tandem aliquando a  
Teutonibus temperaretur.

\* \*

Dum haec geruntur, **aversae Russo-  
rum civiles res, Caesarisque abdicatio**  
necopinato nunciantur. Quae subita  
rerum, ex populi aegerrimo animo  
enata proxime videntur ob ciborum  
defectum, eumque non tam caritate  
atque inopia productum, quam divitiarum  
aviditate exque nulla gubernii pro-  
videntia. Inde seditionorum factiones,  
quae, licet vehementer oppugnatae, se-  
creto tamen in Russia nunquam non  
constiterunt, occasionem nactae sunt  
rebellionis facem in praecipuis civitati-  
bus incendi, quae reapse diffusa est  
rapideque triumphavit. Ceterum, recor-  
dantur omnes, iam an. MCMV, ob infor-  
tunatum cum Iaponia bellum, civilium

rerum magnam perturbationem factam  
in Russia fuisse, contra magistratus  
praesertim, qui concussionis et infinitae  
potestatis insimulabantur. Quam ut se-  
daret, Nicolao Caesari civiles, quas  
nuncupant, libertates aliquot conce-  
denda fuere, publicusque instituendus  
legatorum coetus legibus ferendis, cui,  
Russico sermone, *Duma* nomen fuit.  
At vero constitutio illa, decursu tem-  
poris, paullatim retractata in peius est;  
legatorum conventus tres, alias post  
alium, dimissi; suffragii ius late cor-  
reptum; paucorum potentia fere ex  
integro restituta: quid igitur mirum,  
si renovata nunc incommoda effectus  
renovarent, et eos eiusmodi, quos dif-  
ficilis foret ut vani redderentur? Ita-  
que nulla habita ratione et a gubernio  
et ab ipso Caesare - (integro, sed infir-  
mae voluntatis viro)-interpositae inter-  
dictionis, suffragante populo ipsoque  
exercitu, *Duma* illa in contionem venit,  
quumque tamquam publicae salutis  
coetum sese constitutam declarasset,  
legationem obviam Caesari a castris  
redeunti misit, qui, eius postulationis  
auditibus, sese a regno in favorem  
Michaëlis fratris abdicavit. Hic vero  
imperium a se gestum iri negavit, nisi  
prius per populi scitum nova rei publi-  
cae regendae praincipuaeque Russici  
regni leges sanctae fuerint.

Interim rerum administratio penes  
concilium est ex *Duma* delectum, cui  
Lvoft princeps praeest; quod et am-  
plissimam libertatem in civitate et pro  
Poloniae Finlandiaeque incolis edixit  
acriusque bellum in Teutones hostes;  
regalem autem familiam ab externo  
commercio seiunxit, quosque magi-  
stratus crederet antiquo regimini, vel

Germanis occulte favere, captivos reddidit.

Hic, dum scribimus, rerum status: qui eventus sequuntur erunt, - (atque utinam ne alius sanguis effundatur!) - eos proxime videbimus.

Kalendis April. MCMXVII.

POPLICOLA.



## VACUI TEMPORIS HORA

Morbus ille fastidiosissimus, cui, nescio quanam ratione, *ab influentia* non men vulgo est inditum, quique superiori mense diutius me afflictavit, prohibuit quominus magni nuntii antehac vos participes redderem, o socii et lectores humanissimi: *anonymus* ille meus Badaicensis iam amplius in tenebris non latet! Quum enim Vicensis quidam socius noster cultorum virorum notulam mihi tradidisset, ad quos speciminis gratia *Almam Romam* mitterem, cum bona spe fore ut et ii societatem nostram adirent - (atque utinam alii plures Vicensem illum imitentur!) -; ego autem statim ei morem gessisse; factum est ut alter ex illis, Badaoci degens, tamquam *anonymum* a me tantopere celebratum sese revelaverit. Evoe! ... Quamquam, etsi longe lateque sociorum nomina perlustrasse, confidendum est mihi eius nomen haudquam invenisse ... Ecquid vero? Num animum contrahamus, certiores facti, desiderium studiumque operis nostri extra sociorum ambitum tantopere produci? ... Iungimus igitur haud minus

amicem dexteram tecum, o vir, licet non socius, colendissime!

\*\*

Iungimus, inquam, dexteram, idque recte et optima fide; hoc est, ne vel longissime repetentes eiusmodi **usus iungendi dexteras originem**. Quam, nisi humano generi honorabiliter, ingeniose tamen ac non sine aliqua probabilitate ita declarant. - Antiquitus, quum homines duo, alter alteri occurseret, invicem dexteram manum - nimurum percutientem - intendere debabant, ut palam fieret in ea aggressiōnē nullam neci. Praeterea, optimis sic intentionibus patefactis, dextera ipsa alteram stringebant sese explanantem, quo tutissime ostenderetur nulla arma, dolum nullum in ipsa abscondi. Inde apprime usus iungendi dexteras enatus dicitur; ita ut huiusmodi gestus, habitus omnium integerrimus, nihil aliud heu! fuerit, quam actus mutuae suspicionis, perpetuaeque sui tuitionis. Addunt, ipsum ortum duxisse apud te... terrimum populum. Ipsi, qui legit, propius conjectura vestra ad hunc accedatis.

\*\*

Clarissimus A. Fulconis **horologii descriptionem** nobis suppeditavit, quae in superiore fasciculo edita est cum magna certe lectorum iucunditate. At non minoris, puto, vestra referet quae sequitur, ex «Eloquentia Poetica» Laurentii Le Brun decerpta, in quam ego sponte incidi, vobisque libenter comunico: est enim de horologio perfectissimo, et quod «ad repetitionem»

vulgo nuncupant: eaque non elegantia carentibus versibus expressa:

*Est mihi Palladia munus praenobile dextrae,  
ponderibus librata suis argentea moles,  
quae lucis noctisque vices distinguit, et altas.  
Latonaque vias et tempora quattuor anni.  
Materiam commendat opus; nam mille rotarum  
denticulis implexa agitur, motuque perenni  
anfractus solis varios lunaque labores  
astrorumque vias aequato examine signat.  
Hic auro stilus irradiat, lentoque rotatu  
immoto versans sua se in vestigia centro,  
indicat inscriptas spatis aequalibus horas.  
Infra fulgentis rutilant argentea lunae  
cornua, quae ad vultum Latonae, ortusque vicesque  
volvuntur, paribusque notant vestigia signis.  
Intus agit data campanae, quae protinus hora  
affusum stratis dominum tinnitibus urgent,  
exactasque docet repetitis ictibus horas.*

\*\*

Iamvero ad anonymum non anonymous redeo, eique ceterisque felicibus hominibus, quorum natio neutri bellantium populorum favet, civesque igitur ciborum epularumque debita circumscriptione non tenentur, hunc **mensae ordinem** dico, quem coquinae magister a quo accepi, optimum ad Paschatis tempus asseruit:

*Pulmentum ex ovorum vitellis dis-  
cerptis.*

*Vitulina glandia frixa, cinaris frixis  
ornata.*

*Mattea pipionum iurulenta.*

*Agnus anniculus assus; acetaria.*

*Lac more Lusitanorum spumosum.*

\*\*

## Locosa

Magister alumnis suis nuperrima doctrinae inventa recensuit, de telegrapho absque filo magis loquutus, quem civis

noster Gulielmus Marconi in usum induxit; sermonemque apta peroratione concludens, ut nempe discipuli in scientiam magno studio incumberent, quo ad patriae decus et ipsi nova reperta sapientissima aliquando essent allaturi.

Insequenti die Tuccius scholam ingreditur, triumphantium more textrinam suculam linea filo circumvoltam extollens.

- Quid istud? - rogit Magister.
- Magnum, aedopol! inventum meum.
- Scilicet? ...
- Filum absque telegrapho!

Ad cauponam.

- Coenam apponam ne tibi, stantem quattuor, an quinque libellas?
- Quaenam inter utramque varietas?
- Papae! Unius libellae, domine mi-

\*\*

## Aenigmata

I

Sunt mihi, sunt lacrimae; sed non est causa doloris;  
Est iter ad caelum, sed me gravis impedit aer;  
Et qui me genuit, sine me non nascitur ipse.

II

Parte priore rogare soles; sed parte secunda  
Monstrare aut lentam carpere segnitiem.  
Utraque mixta quid est? Divi suprema voluntas,  
Quae regit et terras, et regit astra poli.  
(Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1] *Dies et nox*; 2] *Fornix*).  
IOSFOR.

Punctum est quod vivimus, et adhuc puncto minus.

SENECA, Epist. I, ad Lucium.

## Epistolarum commercium

SOCIOS ILLOS DUOS, qui sub finem superioris anni, ad pretium subnotationis solvendum, syngraphas, – alteram ex urbe S. Ludovici (*St Louis*), alteram, per nummariam mensam Richard et Soc., ex urbe Neoeboracensi (*New York*), – sine quovis nomine ad nos miserunt, ut sese patefiant, ne fortasse ab iis repetamus quod iam dederunt, *iterum itemque rogamus*.

Supervacaneum ne erit rogare pariter eos, qui nondum debitum nobiscum, eodem anno MCMXVI, sive directe sive indirecte contractis, haud satisfecerunt, ut rationes suas quo ci-tius tandem aliquando exaequent?...

Cl. v. G. AMB..., *Bristolii*. – Verbum illud ab ipso Cicerone cum accusativo adhibitum, vid. apud FORCELLINI-DE VIT, *Totius latinatis lexicon*.

Cl. v. A. FULCONIS. – Albertus De Albertis ortus est in Tridentina regione an. MDXCIII. Vigesimum secundum annum agens Societa-

tem Iesu ingressus est, pluresque annos docuit rhetorice, philosophiam, mathesim, sacramque Scripturam primum, ac diutius, Mediolani, deinde Romae, ubi diem obiit supremum die IIII mens. Maii MDCLXXVI. Multa edidit opera: theologica (*Lucubrationes theologicae*); « polemica » (inter quae *Vindiciae et Lydius lapis ingenii* adversus errores Gasparis Scioppi; *In corruptores verbi divini*); rhetorica (*Thesaurus eloquentiae sacrae*); denique moralia (*Paradoxa, De recta operandi regula, Liber contra saltationes et choreas*); et disputationes varias de vestitu et ornatu mulierum, quae, nec sine magno momento, in nostrarum ipsorum dierum quosdam mores scripta videntur. Satis ne tibi haec sunt?

Cl. ANONYMO EX AMERICIS. – *Garum*, liquamen fuit ex intestinis piscium sale maceratis, dictum a garo pisce, ex quo primum fieri coepit. Ausonius (*Epist. 21*) discrimen adnotat inter garum et « muriam »; quod liquamen e thynnis fiebat, et multo minoris emebatur. Itaque garum satis respondere nobis visum est ferculo, quod vulgo *caviale* audit.

A SECRETIS.

## ROMA SACRA

### Acta Benedicti Pp. XV.

*Allocutio habita in' Sacro Consistorio  
d. XXII mens. Martii MCMXVII.*

Venerabiles Fratres,

Amplissimum Collegium vestrum ad Nos idcirco in hodiernum diem convocavimus, ut novos viduatis ecclesiis episcopos destinemus. Cui quidem rei etsi poterat extra hunc Ordinem provideri, tamen eum morem, qui fuit olim tractandi causas huiusmodi in sacro Consistorio, revocare libuit, eo vel magis quia ex episcopalibus Sedibus quae vacant, una est, Veliterna scilicet, cui omnino est in hac digni-

tate loci consulendum. Verum, antequam aggrediamur ad id quod est propositum, occasione utimur ut alia de re sane gravi vos alloquamur.

Nostis, Venerabiles Fratres, Decessorem Nostrum inclytiae memoriae Pium X quum « ordinatio Romanae Curiae a Sixto V potissimum constituta » decursu temporis multis partibus demutata esset adeo « ut singularum (Congregationum et Officiorum) iurisdictio, seu competentia non omnibus perspicua nec bene divisa evasisset », Constitutione *Sapienti consilio III Kal. Iul. MCMVIII* decrevisse, ut eadem ordinatio « modo apto et omnibus perspicuo » renovaretur.

Iam vero in meditanda et praeparanda Constitutionis huius confectione, illud quoque est cogitatum de sacris Indicis et S. Officii Congregationibus coniungendis. Atque id in animo fuisse sollerti Pontifici, non solum patet ex iis quae tum acta sunt, sed etiam ex testimoniis clarorum virorum, qui partem aliquam in iisdem agendis habuerunt. Par enim et consentaneum videbatur, ne dicamus necessarium, cuius Congregationis summum ministerium esset *tutandi doctrinam fidei et morum*, eidem incumbere munus vigilandi editioni librorum aliorumque scriptorum (quae quidem quum expeditissima via sit divulgandi hominum cogitata, mirum, quantum valet in utramque partem, id est sive ad excolendos animos, sive ad corrumpendos); quin immo memoratae S. Congregationi munus eiusmodi, tamquam praecipuum et proprium et peculiare esse demandandum: eo etiam ut praecaverentur de competentia inter easdem Congregationes controversiae; quae quidem, ut diximus, non postrema erat causa, cur nova ordinatio Curiae suscepta esset. Huc accedebat, quod S. Officii Congregatio, quoties necessarium vel utile iudicaverat, toties de libris ceterisque scriptis censuram exercere consueverat: id quod non parvo erat momento ad duarum Congregationum coniunctionem peragendam, vel potius restituendam; nam ab initio unum idemque fuerant, dumtaxat consequenti tempore opportunum visum est eas separari.

Verumtamen, quia nonnulla erant quae dehortabantur, ne in praesens copularentur iterum, placuit Decessori rem interim prae-terminere, efficere tum quae poterant, cetera, quae sibi proposuerat, relinquere Successoribus emendanda, si ita vellent, cum tempora paterentur.

Nunc vero, remotis iis quae obstabant, Nos, plane cum Decessore Nostro consentientes, adhibitis in consilium iis ipsis egregiis viris, qui eidem Decessori in hoc navarunt operam, antequam novus promulgetur Codex, atque ut in ipso nihil hac quoque ex parte desideretur, munus damnandi prave scripta S. Congregationi Sancti Officii attribuere decrevimus, ut eius proprium ac peculiare sit, quale usque adhuc fuit S. Congregationis Indicis, quae hoc ipso iam esse desinet.

Ne autem ex hac accessione muneris S. Officium nimis multis negotiis gravetur, placet constituere, ut quicquid ad Indulgentias pertinet, omne posthac Poenitentiariae Apostolicae attributum sit; cuius quidem erit usitato sibi more de iis omnibus iudicare quae spectant ad « usum et concessiones Indulgentiarum, salvo iure S. Officii videndi ea quae doctrinam dogmaticam circa novas orationes et devotiones respiciunt ». Id quod ipsa suadet affinitas rerum, de quibus, ut propriis, agit Poenitentiaria Apostolica.

His mutationibus videmur perfectam reddere, quatenus humanae res possunt, Ordinationem Romanae Curiae, simulque praeclarum Decessoris consilium plene ad effectum adducere.

(*Sequitur in consueta forma plurium Episcoporum cooptatio*).

Iuxta autem ea, quae in Pontifica allocutione, uti supra, enunciata sunt, per *Motu proprio* d. XXV mens. Martii MCMXVII statuta sunt sequuntur:

I. S. Congregatio Indicis iam nunc non erit.

II. Quod fuit usque adhuc proprium munus S. Congregationis Indicis, erit posthac Sancti Officii de libris ceterisque scriptis censuram facere.

III. Ad ministeria quae sunt apud S. Officium, accedat peculiaris *Sectio de Indice*; eique addicantur Officiales, qui extinctae Congregationi ministrabant. Rationem autem eius Sectionis ordinandae S. Congregatio Sancti Officii definiet, Nobisque probandam proponeat.

IV. Ne autem Sancti Officii negotiorum nimis hac accessione crescat, quidquid ad Indulgentias pertinet, omne iam esto Poenitentiariae Apostolicae: quae quidem pro suo instituto iudicabit de omnibus quae spectant ad usum et concessionem Indulgentiarum, salvo iure S. Officii videndi ea quae doctrinam dogmaticam circa novas orationes et devotiones respiciunt.

V. Sectio de Indulgentiis, quae est apud S. Officium, cum suis officialibus, ad Poenitentiariam Apostolicam transferatur: quam ipsam Sectionem Cardinalis Poenitentiarius Maior, Nobis consultis, ordinandam curabit.

# AD PRAETORIUM<sup>5)</sup>

OCT. Ut esset nescius, sibi ne quis imputet  
Prophetae excidium, sibi ferri postulat  
Aquam cum pelvi, manus ut ablueret.  
Et ante plebem clamat: "Eius sanguinis  
Ego innocens sum!,, Tunc omnes velut  
[ebri]

Furore clamant: "Sanguis in nos recidat,  
Et in satos et qui nascentur ex eis!,,

FUL. Et ipse?

OCT. Cessit!

FUL. Cur data est ei aucto-  
ritas?

OCT. Tremit miser!

HER. Timet furem Caesaris?  
FUL. Iniuriam facis romano nomini!

Timor non tangit Romanorum pectora.

Timet nam si Pontius, non romanus est!

OCT. Iram refraena! Audi quid egit postea.  
Volens is iram populi tunc fugare,

Iterum atque iterum virum flagellis corripit!  
Erant nec amplius corda mortalium

Eis, sed potius belluarum feritas!

Eo iam quidquid civitas dat optimi  
Cito convenit, quasi de composito.

Et inter illos magistri circumvolant  
Mihi qui Romanae ferunt fastidium.

Suis hic sufflant animos discordiis,  
Ut occidatur, quaerunt, vir de Nazareth!

FUL. Meusque Pontius?

OCT. Cessit violentiae!

Eius putavit mortem necessariam!

Et ipsa vidi, quodque videbo in posterum  
Mea nec unquam decidet memoria,  
Licit Romana, Barbarorum nescia.

Plagis coopertus trahitur miserrimus,  
Cruore corpus omne ad talos difflit...

In illo non paret nec iam aspectus hominis.

Huic dependet humeris panniculus,  
Tamen sed auratus, ridendi gratia.

Caput gerebat coronam ... non auream,  
Totam pungentibus contextam spinulis!...

HER. Dolor loquendi potestatem detulit.

Officium linguae criminis vincit gravitas!

## SCENA X.

*Irruunt interea undique MULIERES IERUSALEM, crinibus passis, elata voce, queritantes de Christi fato.*

MUL. I. Ruit Ierusalem vetusta civitas,  
Suis oppressa grandibus flagitiis!

MUL. II. Pius damnatus!

MUL. III. Missus ad supplicium!

MUL. IV. Deus nos puniet brevi propter cri-  
mina!

MUL. II. Quis illo iustior!

MUL. I. Castior!

MUL. III. Sanctior!

MUL. IV. Magis quis praemiis cumulavit suis?

MUL. V. Dedit novam vitam Lazaro mortuo!

MUL. III. Dedit loquelam mutis!

MUL. I. Et surdi audiunt!

MUL. VI. Per ipsum caeci vident; aegri e lectulo  
Levant se se, gradum movent qui claudicant.

MUL. I. Diserti fiunt ipsi vel infantili.

MUL. III. Et ista vidimus nosmet miracula!

Virum ferebamus omnes ad sidera,  
Eumque sanctum dicebamus undique ...

MUL. V. In gloriam datum nostris temporibus.

MUL. III. Et hic? Pudet dicere! Ad mortem

[truditur!]

MUL. IV. Tuetur illum quis? Illum quis pro-  
[tegit?]

Sinunt immemores duci ad supplicium!

MUL. III. Eamus nosmet, omne complemus  
[questibus ...]

MUL. IV. Eosque vi vel potius cum lacrimis  
Agamus, Iustum liberent ut denique.

Hoc ad nos pertinet, matres, quam maxime  
Quis tulit semper Iesus auxilium.

(Ad proximum numerum).

I. B. FRANCESIA.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS. - ROMAE.

## NUMISMATUM COLLECTORIBUS

Apud Commentarii Almae Romae Moderatorem numismata plura ex iis, quae gesta Romanorum Pontificum referunt et quotannis in festo Apostolorum Petri et Pauli cudi solent, venalia prostant. Sunt inter haec numismatum aeneorum Leonis XIII et Pii X integra collectio; collectio pariter integra argenteorum numismatum Pii X; et Leonis XIII ab anno XIII ad XXVI Pontificatus eius inclusive.

Si quis aliquod vel omnia habere cupiat, rogationem simul et oblationem suam scriptis mittat ad Doctorem Josephum Fornari, Almae Romae Commentarii Moderatorem, Romam (Via del Governo Vecchio, 96).



## Sculpturae et aeneorum Museum

G. Balducci & A. Giacomini

ROMAE

Via Sistina, N. 2

STATUAE HIC MULTIPLICES  
TUM SACRAE CUM PROFANAE  
VASA - COLUMNAE - MONUMENTA

Templa, Viridaria, etc., vel ex integro  
decorantur.

Prospectus gratuito fiunt

Artificum optimi opera sua commendant huic museo, cui studia propria sunt ad lapicidinas.

## CONSTANTINI PISONI

### Pontificia Officina Candelarum ad Sacra

CONDITA AN. MDCCCIII

pluribusque praemiis aureis et argenteis aliisque honoris  
testificationibus insignita

ROMAE - Corso Vittorio Emanuele, 127-129; Via Sediari, 1-3 - ROMAE

Candela ex cera cuiusvis dimensionis, tum simplices, tum exquisitis ornamentis  
decorae; rigidissimae vel calidissimis caelis resistentes, iuxtaque praescripta liturgica  
fabricatae, et a S. Rituum Congregatione recognitae.

FACULAE AD NOCTEM, et diurnitate et fulgore unicae, ideoque  
iure proprietatis septae.

COMMERCIO EPISTOLARE OMNIBUS LINGUIS HABETUR.

RES AD ORBEM UNIVERSUM EXPORTATUR.



# “Credito Centrale del Lazio ,”

Societas anonyma ex soluta summa libell. 500.000.  
ad decies centena millia libell. efferenda  
oeconomicis Catholicorum Institutis Romae, in Latio eiusque provinciis conterminis  
promovendis, dirigendis, adiuvandis, amplificandis

Pecuniae sibi ad quotidianam computationem concreditae fenus rependit  
ad 2.50 % et 3 %. — Huiusmodi commercii rationes vel per litteras instituit.

Parsimoniae libellos emittit, sive inscripto possessoris nomine, sive cuique  
latori liberos, cum fructu 3.50 %; et 4 % si de parva summa agatur.

Emittit pariter libellos vinculo adstrictos, neque non fructiferas syngraphas;  
quarum tamen de quaestu convenientum est.

Exterorum nummos atque nummarias tesseras emit venditque.

Pecuniam per obligationis chirographa concedit, aliorumque nomine obliga-  
tionis chirographa exigit.

Aes alienum, acceptis commercii tutis rationibus, solvit.

Operationes omnes, quae arciae rei sunt, pro committentibus gerit; locaria  
repetit; vectigalia solvenda curat, etc.

Sedes Princeps ROMAE, via dei Cestari, 21

Subsidiariae: ALATRIAE, BRACENI, FARAE SABINORUM, PRAENESTE, SUBLACI

IOANNIS B. FRANCESIA

## ACTIONES DRAMATICAЕ

latinis versibus conscriptae

SATURIO ☈ ☈ ☈ ☈

EUPLIUS ☈ ☈

AD ROMAM ☈ ☈ ☈

Apud Almae Romae commentarium

ROMAE

Via del Governo Vecchio, n. 96

veneunt singillatim libell. 1,00.

JOSEPHI FORNARI

## MILESIAE FABULAE

scenis accommodatae apud epe-  
bea facile agendis.

## FRIDIANUS

SIVE

DE INCONDITO ADULESCENTE

ET

## FRANCISCVLI PRANDIUM

Apud Almae Romae commentarium

ROMAE

Via del Governo Vecchio, n. 96

veneunt singillatim libell. 1,00.

C. DEL VECCHIO.

SINGUL